

resolved as they are) can not be greatly profytalbe, but rather may breed in the sayd Governors there that your commyng thither was to some other ende then is pretended. I can not myslyke of Her Majestie's revocatyon of you. I fynde by your letters that there is neyther courage, nor judgement in the noblyte ther, in that they overslip so apt a tyme to purchase ther owne lybertye, whoe, contrarye to all reason, do prosecute the warrs ageynst the Prinee with more extremyte than the Commandador dyd, wherby yt is most evydent that that contrye is in his deelynatyon and wyll shortly faule under the spanysh yoke to ther nutter undoing and owre great perryll. Having an eye eyther to the spanysh mallyce or the corruptyon of owre own Estate, owre frynds wyll no longer suffre us to nestell in this owre long contynued servyee, and so I commyt you to God.

At the Coorte, the xxij<sup>d</sup> of april.

(Record office, Cal., n° 754.)

MMMCXLV.

*Daniel Rogers au prince d'Orange.*

(LA BRIELE, 24 AVRIL 1576.)

Exposé de toutes les plaintes auxquelles ont donné lieu les excès commis par les marins de Flessingue. — Il serait d'une bonne politique de ne pas irriter les Anglais, dont on réclame sans cesse l'appui.

Cum sub finem superioris anni ab Illustrissima Excellentia Vestra ad ordines Zelandiæ redirem ad ea negotia conscienda, quæ paulo ante ob cædem clarissimi herois piæ memoriae Domini Caroli Boisotti inchoata istie reliqueram, cum ex animi sententia lites de navi Christi nomine appellata, aliaque transigere nequirem, nihil prius censui quam ut ad Serenissinam Reginam, ejusque Majestatis honoratissimos Consiliarios reverterer, eorumque explicarem quo animo Excellentia Vestra Reginæ postulata prosecuta fuisset, quidque Vlissingenses ad singula ipsis proposita capita respondissent. Quo tempore, cum mercatores a Vlissingensibus fortunis suis spoliati, justitiam ex voto sibi non administratam fuisse integererent, litteris repræsaliorum a Regina, maximo studio, multis preciis requisitis, damna ipsis illata ulcisci et fortunas suas vi resarcire cogitarunt. Quorum postulatis Serenissima Majestas Sua non perinde acquievit quin, habita ratione temporis et necessitatis qua Vlissingenses premi asseverebam, cum consideraret quid Excellentia Vestra recipieret, quid etiam Vlissingenses

pollicerentur (pollicebantur enim se brevi et statu tempore recompensaturos quæ in Christi navi amissa fuissent), mitius cum afflictis agendum esse pro clementia sua existimavit. Commorabantur tum in Anglia præstantissimi viri D. Philippus Marnixius, Paulus Buissius ac Franciscus Maelsonius ad Serenissimam Reginam ab Excellentia Vestra legati, qui, cum ad munienda Reipublicæ negotia ac de rebus gravissimis cum Majestate Sua ac honoratissimis Consiliariis consultarent, experti, credo, sunt quam publica illa privatis istis sed quotidianis querelis in Vlissingensium insolentiam motis sæpe retardabantur. Tum enim accidit, quum veteres querelæ nondum sopitæ essent, indies novarum uberior seges oriretur, magna profecto eum Reginæ, tum Consiliariorum admiratione. Dum enim legati Illustrissimæ Excellentiae Vestrae Rempublieam Christianam sulcire ac Serenissimæ Reginæ patrocinio munire contendunt merito eum Consiliariis suis, Regina demirabatur non desistere eo rerum statu Vlissingenses a subditis Majestatis Suæ injuriose infestandis, ac ne quidem regni portus immunes ab eorum rapaci violentia relinquari. Ad veteres igitur querelas plene dirimendas et ad novas restinguendas, de sententia Serenissimæ Reginæ in Zelandiam denuo ablegatus fui, quemadmodum ex litteris ab illustri Barone D. Burghlæo, primario regni Thesanario, Domino Thoma Smitho, Domino Francisco Walsingano, Serenissimæ Reginæ Consiliariis, ad D. Ludovicum Boisotum, Excellentiae Vestrae Amirallum, scriptis liquet. Sperabam autem, commorantibus Excellentiae Vestrae legatis in Anglia, illisque erebro Vlissingenses ut moderate eum Serenissimæ Reginæ subditis agerent admonentibus, omnia leniori negotio posse consici, nec opus fore Excellentiae Vestrae aures similibus querelis rursum obtundere. Cæterum iter meum variis casibus obnoxium fuit, nec ad portum ad quem contenderam, pro animi arbitrio pervenire poteram. Sævientibus enim ventis et pelagi procellis tantum non a fluctibus absorbtus fui, proque Vlissingensibus quos adibam in Morinorum litus Oestandam abreptus, difficulter tandem quo cursus fuit perveni. Cum vero portum contigisse quo cursum direxeram, absentem intelligi Amirallum, nec querelarum numerum diminutum sed novis eumulis immane quantum auetum reperi. Intellexi etiam exacerbatum Serenissimæ Reginæ animum, ob interceptam Freto Britannico Legati Portugallensis in Anglia residentis sponsam, ad quam tuto in Angliam perducendam nobilem virum Joannem Cobbamum Majestas Sua Caletum ablegarat. Quare pro re nata consultissimum duxi, relieta Zelandia, Hollandiam petere ut, quo loeo Excellentia Vostra consistaret, Amiralliusque moram traheret, remedium ingruentibus malis invenirem. Obtestor igitur Excellentiam Vestram etiam atque etiam sceum ponderet quam æqua sint Serenissimæ Reginæ postulata, quæ per me Vestra Excellentiae ante proposuit, nuneque repetit. Judicet an Majestatis Suæ sit pati ut subditi sui ad hunc modum Vlissingensium libidini effrenatæ subjiciantur. Expendat an non causæ quam Excellentia Vestra propugnat, hæc [ratione] ignominia inuratur. Denique iterum atque iterum examinet

an ex Reipublicæ commodo sit ut licentia hæc Vlissingensibus concedatur. Equidem qui Vestræ Exeellentiæ ex animo bene volunt, ii, si quid recte augurantur, ad eausæ vestræ perniciem ipsis hæc permitti censem. Eo enim eredit Vlissingen-sium in mereatoribus divexandis extrema cupiditas ut ad eos spoliandos promptissimi, ad hostes vero in ipsos proficiseentes repellendos remissiores inveniantur, quique ante gubernatorum et præfectorum vicibus regebantur, nunc gubernatoribus ipsis sæpe dominantur. Ac tollerabilius quidem hoc hominum genus esset si, eum mare infestant, hostibus solis vim inferrent. Nunc, præterquam quod sine disserimine omnes dispoliant, in portus etiam regni Anglii violenter irruunt, nec exterorum tantum, sed Serenissimæ Reginæ subditorum naves invadunt, ac Vlissingam tamquam hostilia spolia abripiunt. Hue accedit quod, cum Anglis antea in Flandria trajeeturis molesti solum essent, nunc nusquam illis, Vlissingensium obstante violentia, mereaturam facere licet. Quocunque navigant, in Walebriam inviti rapiuntur. Judicet Excellentia Vestra pro ingenii sui æquitate num Serenissima Regina, ejus proprium imperium est in Britannicum Mare, hæc ferre debeatur. Præterquam enim quod Britannicum Mare a Britannia Insula denominatur, insularumque singulare jus sit in vicina æquora, hoc mare a circumiacentium provinciarum regibus et principibus Britanniæ olim adjudicatum fuit, cuius authoritas tanta semper fuit ut nulli armato lieceret fretum illud oberrare citra regis Anglie indulgentiam. Quo jure igitur Vlissingenses hoc mare tantopere infestent, merito Regina rogat, exeandeseitque tam multiplicibus suorum subditorum damnis exagitata ita ut nondum constituerit an auxilia vobis præstare vel injurias illatas uleisci debeat. Aequum eerte est illorum jura non violare, a quibus auxilia petuntur, modesteque se gerant oportet, qui alios in sui favorem rebus afflicti et aecisis student allucere. Quod si de auxilio a Serenissima Regina impetrando Excellentia Vestra desperet, subditos ejus inique tractando, ne hostem faciat studiose eaveat. Queat potius rationes, quibus amicitia non constet tantum, sed confirmetur et augeatur. Ac, quandoquidem Excellentia Vestra, litteris per me Serenissimæ Reginæ ultimo novembri missis, recepit se eauturum ne similes enormitates in subditos Majestatis Suæ deinceps exerceerentur, tempus postulat ut promissa jam præstentur. Ut igitur cognoscat Excellentia Vestra quæ Serenissimæ Majestati Suæ in primis displiceant, ex plurimis pauca hie annotabo, quæ, si rite secum Excellentia Vestra ponderet ac corrigat, quemadmodum in eo Serenissima Regina satis factum sibi existimabit, sic privatim et Hollandiæ et Zelandiæ recte consuluerit.

Quemadmodum igitur Serenissima Regina Dominam Lueretiam filiam Caroli Affe-tati, sponsam Legati Portugallensis, commorantis in Anglia, captam prope Dovorianam, abduetamque Vlissingam, reddi sibi cum omni comitatu postulavit, non est quod hie repetam. Illa vero cum quibusdam suis in Angliam jam pervenit, sed destituta quatuor ex comitibus suis, quos viceissim restitui incolumes, citra redemptionem ullam, Majestas Sua requirit. Hos, nulla habita ratione litterarum quas bis ad Excellentiam Vestram

Serenissima Regina hoc nomine perscripsit, Zelandi in vinculo detruserunt, inhumaniterque tractarunt. Evidem juste hos Sua Majestas reposeit, quandoquidem Dominæ Lucretiæ partim famuli erant, partim eomites ad quam cum eomitatu suo tuto in Angliam perducendam ex nobilibus domesticis D. Joannem Cobhamum Caletum Regina ablegavit, suoque patrocinio comitatum integrum dignata fuit.

At illud imprimis Serenissimam Reginam movet quod, cum Excellentiae Vestrae classiarii in portus regni Anglie ingrediuntur, ingratissimos hospites se præbeant. In naves enim Anglorum insolentissime involant, bona auferunt ac Vlissingam abripiunt. Petit igitur Serenissima Regina ut ad Amirallitatis Zelandicæ curiam Excellentia Vestra ea de re accurate seribat, isti Vlissingensem insolentiæ fræna injiciat, ne Majestas Sua alia ratione providere cogatur.

Deinde, eum iidem Excellentiae Vestrae classiarii Anglorum naves in Galliam, Hispaniam, Portugalliam et Italiam proficiscentes, indeque redeuntes cum mercibus invadant, in eoque se Excellentiae Vestrae edictum exequi testentur, quo diserte ipsis mandatur ut ad hostes Excellentiae Vestrae proficiscentes et ab iis redeuntes involent ac in Zelandiam vel in Hollandiam rapiant, cum Serenissima Regina nunquam feret ut inconsueta in ea regna mereaturam faciendi potestas suis restringatur, petit ut Vestra Excellentia, litteris ad Amirallitatem Zelandicam missis, Anglos saltem excipiat, serioque suis interdicat ne commeantibus et remeantibus in dicta regna Anglis molestias exhibeant.

Tum, quod ad Flandriam attinet, eum Serenissima Regina contenta sit, durantibus intestinis hisce bellis, ut exceptis stapulariis reliqui sui subditi mercibus in Flandriam transfretandis abstineant, consideret Vestra Excellentia num ex re sua sit, hoc concessu, tam uberem segetem querclarum, quæ indies ex Anglorum in Flandriam intercepta navigatione ad Majestatem Suam deferuntur, quibusque tantopere exagitatur, rescindere. Primum enim Stapularii bis per annum in Flandriam, invitisi Excellentiae Vestrae classiariis, adjuti militaribus Reginæ navibus trajeunt. Quod si igitur liberum hoc illis iter permittatur, reliquisque subditis Majestas Sua interdicat, ne in Flandriam merees transportentur, si quid adversi illis accidat, eum contra voluntatem Reginæ facient, querelas ad Majestatem Suam de eo non deferent, quibus sublati necesse est favorabiliorem Majestatem Suam Excellentia Vestra experiatur.

Aventurarii autem, superiori anno initis eum Vestra Excellentia conditionibus ut libero Sealdi fruerentur, maximo corundem damno... septem hebdomadas Vlissingæ contra paeta sistuntur. Quod sane honoratissimis Reginæ Consiliariis vehementer displicet, ac merito, eum videant ipsa etiam paeta Anglis violari, quibus eo etiam major injuria facta est quod, eum ante tres septimanas reliquorum navibus discedendi facultas facta fuit, solis Adventurariis ne recederent, imperatum fuit. Sunt illie octo vel novem eorum naves, quæ redditum in patriam moluntur; sunt quinque vel sex quibus

Antwerpianum cursus est. Quod si Vlissingenses (quod quosdam ex iis innuere comperi), ob quatuor suas naves in littoribus Anglicis arrestatas, Aventurariorum onerarias sistere cogitent, næ illi vident quid agant. Præterea sciunt se ad quatuor millia librarum Flandricarum obserratos Aventurariis teneri, quæ summa quatuor eorum navibus in Angliam arrestatis longe major est. Causam vero quatuor eorum Vlissingensium arrestatorum Excellentiae Vestrae D. Joannes Herbertus a Serenissima Regina nuper ad Excellentiam Vestram ablegatus aperuit. Cum enim Vlissingenses ex portu Anglo insolentissime Guilielmo Simonio Plimmuthensi navem eripuisserint, petiti ille, supplicatione honoratissimis Consiliariis exhibita, licet sibi quatuor illas Vlissingensium, quæ ad ostium Fale tum temporis commorabantur sistere donec illi sua restitueretur. Eo autem Vlissingensium excrevit insolentia ut licere sibi Anglis omnia hostilia inferre, Anglos vero præter fas et æquum, si injuriis affecti ipsorum naves arrestent, agere existiment. Hoe loco honoratissimi Consiliarii a Vestra Excellentia petunt ut, secundum pacta cum Vestra Excellentia inita, Scaldis liber Aventurariis maneat, ne Vlissingæ diutius eum ruina plurimorum detineantur. Is est enim mercatorum status ut, si præter opinionem merces a portu ad quem destinatae fuerant, tanto tempore detentæ alibi fuerint, sæpe fore ut eum fidei et fortunarum jaetura cedere cogantur.

Quod ad navem vero Christi spectat superiori anno Vlissingensium injuria a littore Anglo abreptam, eorumdemque injuria submersam, tempus jami postulat ut damna amissione ejus navis illata proprietariis resarciantur, qua de re ut Excellentia Vestra ad Admiralitatis Zelandiæ curiam prescribat, eum D. Ludovicum Boisotum hie, ut spectabam, præsentem non reperiam, eam obtestor.

Porro Martiniorum trium fratrum Exoniensium civium negotium Serenissima Regina singularibus litteris prosecuta, majorem in modum, Excellentiae Vestrae commendat: de quo, cum ante, aucto anno, cum Vlissingensibus ex mandato Majestatis Suæ egerim, quos iniquiores ex juris peritorum sententia reperi, hinc quale illud sit paucis explicabo. Superioris anni vere dicti Martinii in Hispania varias merces emerunt, emptas in Dermouthensem Angliæ portum transportari euraverunt navi patria, cui Bartholomæo nomen erat. Ex eo portu charta nautica legitime confecta Dovoriam eadem bona anglicis quibusdam meribus cumulata transmiserunt; nauclerum et suos obligarunt sibi ut de more Dovorias consistenter, donec certiores essent facti a proprietariis quo eursum dirigerent, num quasdam ex mercibus Londonium, num partem Rhotomagum vel etiam in Flandriam partem transferrent. Dum hæc navis littus anglicum raderet ac Dovoriam contenderet, antequam ad portum Angliæ præscriptum pervenisset, inter Riam et Dovoriam a capitaneo Clote Vlissingensi invaditur, Vlissingam defertur, sententia lata invasoribus adjudicatur. Causam vero condemnationis bonorum hanc allegarunt judices quod in navi capta litteræ inventæ fuissent, quibus constaret in Flandriam ea trahienda. At Serenissima Regina injuriam sibi factam conqueritur quod, in littore regni

sui, hanc navem præter fas Vlissingenses invaserint; deinde, eum Dovoriam ex pacto contuleret, inique eam invasoribus adjudicatam fuisse; nam, posito eo quod in Flandriam Dovoria profectura erat, non ideo in littore anglico, dum Dovoriani contuleret, capta antequam in Flandriam velisicaret, siseo adjudicanda fuit. Quare, si Excellentia Vestra ut sua dictis Martiniis reddantur proeuret, id quod justitiae congruum est fecerit, ac æquitatem suam Serenissimæ Reginæ comprobabit.

Præterea scripsit Sua Majestas ad Vlissingenses ut navem eum Henrici Londinensis nomen est impositum, abduetam vii<sup>o</sup> martii a littore anglico Vlissingam, dum in Portugalliam onusta bonis Anglorum tenderet, proprietariis restituerent: quæ litteræ cum ante mensem illis traditæ fuerint, nulla restitutio adhuc subsecuta est.

Sunt alia particularia subditorum Majestatis Suæ negotia quæ Serenissima Reginæ fidei coneredidit, in quibus rite expediendis declarissimi Ludovici Boissotæ æquitate non dubito. Unum est quod addam plurimos conquestos fuisse, supplicationibus Serenissimæ Reginæ exhibitis, quomodo a Gallis authoritate Condæi Principis mare oberrantibus spoliati fuerint, qui, eum spolia in Walehriam devexerunt, judices ejus insulæ non agnoscunt, sed suæ gentis eom . . . . . habent, a quo Angli ablata reposeere coguntur. Hæc enim Amiralius, reliquaque judices ejus insulæ ad se spectare lites in Gallos motas asseverant. At honoratissimi Reginæ Consiliarii existimant ratione loci et territorii Excellentiam Vestram teneri ut perspiciat ne Gallis in Walehriam æquo et jure plus in Anglos licet, cumque non satisfaciat judex illius gentis, ut Vestra Excellentia de talibus negotiis cognoscat, petunt.

Postremo majorem in modum Excellentiam Vestram obtistor ne hæc et similia parva esse et nullius momenti judicet. Evidem ut parva sint Excellentiae Vestrae judicio maximis damnis Serenissimæ Reginæ subditos implicuerunt. Quod si parva sint, ne dedignetur Excellentia Vestra in his parvis Majestati Suæ gratificari, cumque Vestra Excellentiae commodo non cedant, subditos vero Reginæ in ruinam præcipitent toties sollicitata his querelis, quemadmodum ut promisit, Excellentia Vestra præeaveat ac causæ inustam ignominiam abstergat et debeat. Sie eveniet ut qui Excellentiae Vestrae, videlicet cladicibus a Vlissingensibus illatis exagitati, minus favent, æquiores futuri sunt, ac laborantes Hollandi et Zelandi favorabiliorem Serenissimam Reginam, eujus animus his injuriis exuleceratur, sint experturi.

Brilæ Batavorum, 24 april. 1576.

(British Museum, Galba, C. V, n° 97.)